



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 257. Vtrum solus infirmus corpore, & animo sit capax extremæ
vnctionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

homini, qui licet habuerit vsum rationis, de facto illum amplius non habet?

Dicendum primo cum Theologis communiter in 4. distinct. 23. Paludano, Soto, Syluestro, Nauarro, & alijs, quos refert, & sequitur Suarius disput. 42. sect. 2. num. 5. Vt detur validè sacramentum extremæ vnctionis, non requiritur, vt qui illud recipit, sit actu compos rationis, sed sufficit, vt vsum rationis habuerit, & eius susceptioni consensum sufficienter præbuerit. Probatur primo; nam eo ipso, quod habuerit vsum rationis, indiget, vt in infirmitate per illud vltimo præparetur ad gloriam, & obtineat remissionem peccatorum, si in peccatis sit; ergo est capax huius sacramenti, cum sit capax eius effectus. E conuerso qui nunquam habuit vsum rationis, non indiget hoc sacramento, vt vltimo præparetur ad gloriam, cum non potuerit per peccatum ponere impedimentum; ergo est illius incapax. Confirmatur ex vsu ecclesiæ, quo solet dari vt vltimum remedium hominibus etiam vsu rationis, & sensuum destitutis.

4. Dicendum secundo; ad valorem huius sacramenti requiritur, vt qui illud recipit, habuerit intentionem illud recipiendi, sed sufficit intentio virtualis, & interpretatiua. Quod requiritur intentio, probatur; nam adulti, qui aliquando habuerunt vsum rationis, non possunt validè recipere vllum sacramentum sine intentione; ergo neque sacramentum extremæ vnctionis. Confirmatur; nam Iacobus cap. 5. dicit: *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros ecclesie*; ergo infirmus debet illud petere saltem virtualiter, & interpretatiuè. Fideles porro semper præsumuntur habere intentionem illud recipiendi, ideoque nisi constet oppositum, semper debet illis dari.

5. Dicendum tertio; curandum est, quantum fieri moraliter potest, vt hoc sacramentum detur fidelibus ægrotis, dum habent actu vsum rationis, & antequam vsum rationis amittant. Probatur; nam ad reuerentiam sacramenti pertinet, vt conferatur fidelibus, dum possunt illud recipere cum actuali deuotione, præsertim quia tunc recipiunt cum maiori dispositione, & fructu. Cum tamen ægrotus ita esset phreneticus, vt non posset illi hoc sacramentum conferri sine quadam indecentia, & corporali immunditia, non debet dari, vt docet Suarius disput. 42. sect. 1. num. 9. Rursus non debet dari, cum constat ægrotum non esse dispositum ad recipiendum eius effectum, eo quod sit in statu peccati, & illud nõ retractauerit per vllum actum poenitentiae.

6. Potest quæri, vtum extrema vnctio debeat conferri ægroti existenti in statu peccati mortalis, ac sensibus destituto, qui non præmiserit contritionem, sed solum attritionem?

Respondeo affirmatiuè, quia conferet in illo suum effectum.

Tom. III.

Vtrum solus infirmus corpore, & animo sit capax extremæ vnctionis?

1. **C**ertum est primo, vt docent omnes Theologi in 4. dist. 23. sacramentum extremæ vnctionis non posse licitè, neque validè conferri, nisi infirmo. Probatur primo; nam Iacobus dicit: *Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros &c.* Probatur secundo; nam Florentinum in decreto vnionis dicit: *Hoc sacramentum nisi infirmis dari non debet*; & Tridentinum sess. 14. dicit: *Declarat etiam hanc vnctionem infirmis adhibendam; sed si posset validè, & cum effectu conferri sanis, non esset, cur nunquam deberet dari nisi infirmis; ergo &c.* Confirmatur; nam eodem pacto concilia citata dicunt hoc sacramentum debere dari infirmis, quo dicunt debere conferri à sacerdote; sed requiritur ad valorem sacramenti, vt conferatur à sacerdote; ergo etiam ad valorem requiritur, vt conferatur infirmis. Tertio probatur; nam finis primarius huius sacramenti est alleuiatio infirmi, secundarius sanitas; ergo &c.

2. Quæritur, vtum ad valorem sacramenti requiritur, vt infirmus labores graui ægrotudine, ac sit in periculo mortis constitutus?

Respondeo affirmatiuè eum communis sententia. Probatur primo; nam Iacobi sicut latina versio dicat, infirmatur quis in vobis, vox græca significat, deficit, ac penè moritur; ergo requiritur infirmitas grauis, & in mortis periculo constituens. Secundo Concilium Florentinum in decreto vnionis dicit: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timeatur, dari non debet.* Tertio hoc sacramentum est institutum, tanquam extremum remedium pro vltima lucta; ergo non debet dari nisi homini grauius, & periculosè ægrotanti. Quarto si quilibet ægrotus esset capax validè, & eum effectu recipiendi hoc sacramentum, non esset, cur daretur solis ijs, qui sunt in periculo. Non est tamen expectandum, vt ægrotus sit sensibus destitutus, quia hoc esset contra reuerentiam sacramenti, vel vt sit in statu, in quo sine miraculo sanari nequeat, quia cum eius effectus secundarius sit etiam sanatio ægroti, non debet expectari, vt ægrotus sit in statu, in quo ad recipiendum hunc effectum, requiratur manifestum miraculum.

3. Debet aduerti, quod ad validè recipiendum hoc sacramentum, non sufficit, vt quis sit quomodocumque in periculo mortis, sed debet esse in periculo mortis ex infirmitate; ideoque qui est in periculo mortis propter causam extrinsecam, puta quia fuit damnatus ad mortem &c. non potest validè hoc sacramentum recipere. Ratio est, quia est institutum ad succurrendum indigentiae, quam homo habet, cum est in periculo propter infirmitatem, ita vt deficient illi vires corporis.

M m m

QVAE-